

3

DE
VITANDIS ERRORIBVS
IN DOCTRINA MEDICA
PROGRAMMATE,

QVO
PRÆLECTIONES PVBLICAS
ET PRIVATAS
PROPEDIEM INCHOANDAS ANNUNTIAT
NOBILISSIMIS ARTIS SALVTARIS
CVLTORIBVS,

DISSERIT
IO. GVILIEL. ALBRECHT,
ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN. P. P. O.

GOETTINGAE,
STANNO IO. FRID. HAGERI.

THE JOURNAL OF
THE AMERICAN MEDICAL ASSOCIATION
PUBLISHED WEEKLY
CHICAGO, ILL., U.S.A.

Volume 100
Number 1
January 1913

Published by the American Medical Association
535 North Dearborn Street, Chicago, Ill.
Subscription price, \$5.00 per annum in advance
Single copies, 15 cents



Qvod jam dudum de sapientiæ cultoribus enun-
ciatum legimus: *Nihil esse tam absurdum, quod
non dictum sit ab aliquo philosophorum,* hoc idem, si
dicendum, ut res est, non sine jure transferri
poterit ad Medicos, de quorum variis familiis & opinio-
num diversitate licet parum ex antiquitate ad nostram us-
que ætatem, beneficio, an temporum injuriâ, pervenerit,
nugis tamen non modicis seriam præ cæteris Artem sub-
inde fecisse ridiculam existimo, quia sapiens ille Græciæ
Vir non veritus est dicere: *Nihil fore ineptius Grammaticis, si
non essent Medici.* Neque vero hoc in Philosophiæ, aut Scien-
tiæ Medicæ ignominiam verti potest; verum ea videtur es-
se humani ingenii conditio, ut, quicquid veritatis indage-
tur, nunquam liceat primo statim conatu veras rerum asse-
qui rationes, sed, antequam huc perveniatur, per varios
errores & latissimum figmentorum campum vagari oporteat.
Facillimum cuique & sponte obvium esse potuisset
id, quod omnium oculis quasi subjectum, & ipsius Natu-
ræ simplicitati maxime conveniens est, comprehendere,
universam hanc rerum naturalium conversionem ad ma-
teriæ figuram, molem & motum unice esse referendam. At
verissimæ hypothesei nimia obsuit simplicitas & evidentia.

Cum interea philosophi, altius quid & multo subtilius spirantes, Ideas Platonicas, numeros Pythagoricos, occurfus atomorum Democriteos, Qualitates Aristotelicas, & nescio quem vacui metum, animam mundi & Dæmones intermedios præferebant; donec tandem horum omnium vanitate perspecta, & omni mendaciorum consumpta materie, pene coacti compellerentur ad veritatem; quam, quo usque erroribus fuit locus, studio devitasse videntur. Quoties itaque aliquid melius nos habere gloriamur, & magis consentaneum rationi, hoc non acumini nostro, sed tempori, quo nasci nobis contigit, in acceptis ferendum arbitror: & ob id gratias à nobis habendas veteribus, quod hæc absurda tam diu crediderunt, & summæ levitatis opiniones in omnem partem disputarunt; si quidem, nijam solutum fuisset stultitiæ tributum, valde vereor, ne hodie iisdem nugis implicati detineremur. Neque illud adeo mirum videbitur iis, qui considerant, quam angustis contineatur limitibus humana cognitio, quamque sit erroribus obnoxia in explicandis rebus, quas densissimis obvolvunt tenebris Natura. Quare cum Viro, elegantioribus litteris apud Gallos politissimo, universa hæc Naturæ molimina cum Spectaculo Publico, quod *Opera* vocant, comparare soleo; in quo variæ adhibentur machinæ, rotæ vero, & funes, & pondera ea arte occultantur, ut præter speciosos quosdam volatus & corporum satis gravium miram agilitatem, nihil pateat oculis. Fingamus enim, ad tale Theatrum magnam hominum multitudinem confluxisse, atque spectare, verbi causa, volatum Phaëthontis, uti ventis sublatum per aëra vehitur. Ibi equidem maxima eorum pars & factum stupebunt, & in ipsa subsistent admiratione; vulgus vocantur à philosophis. Exigua vero pars inquirent in causas, quibus effectum sit, ut Phaethon volatu adeo veloci

loci ascenderet. Hic vero vix duos reperies, qui idem sentiant. Alius enim satis frigide dicet: est quædam occulta qualitas, cujus ea est vis, ut Phaëthontem cogat ascendere. alius: Phaethon ex certis numeris est compositus, qui faciunt, ut sublimia petat. alius: ea intercedit sympathia Phaethonti cum superiori theatri parte, ut ille loco quiescere non possit, quin repente ad eam propius accedat. Alius: non quidem ea est Phaethontis natura, ut volare possit, sed tamen, quoniam superius spatium quoddam existit inane, illuc se proripit, metu vacui. Et rursus alius, agit hic anima mundi, quæ pro ea, quæ est prudentia, ascensum Phaethontis ad conservationem Universi pertinere judicat. Tandem prodibit Cartesius, Phaethon, inquit, ascendit, quia chordis trahitur, & pondus ipso gravius descendit. Adeo arduum erat & multorum seculorum opus, rem simplicissimam agnoscere. Hodie enim omnes mutationes physicae perficiuntur motu; nihil movetur nisi corpus; nullum corpus movetur, nisi impellatur ab alio, & figura determinat motus directionem. Res denique naturales adeo legibus mechanicis adstringuntur, ut & omnia, quæ in corpore humano fiunt, iisdem credantur contineri. Quemadmodum vero rei obscuritas, & quidlibet fingendi libido summam introduxerunt doctorum dissensionem in Scientiam Naturalem; ita etiam in Medicina, quam illius nobilissimam partem profiteor, nihil tam ineptum, nihil tam absonum, nihil tam ab omni ratione alienum animo concipi potest, quod non serio creditum, & acriter propugnatum sit ab aliquo Medicorum. Ponamus enim, exempli causa, quæstionem, qui fiat, ut bilis secernatur in Hepate. Hic alii solvendo problemati satis sibi videbuntur fecisse, si eam à Natura Hepati esse, inquit, temperationem, ut ex quatuor humoribus eum, qui sibi maxime conveniens

niens fit , ad se trahat. Alii vero, dum irradianti virtuti flammulæ vitalis hoc totum tribuunt negotium. Alius vero hos irridens, o boni, dicet, si cognitum vobis esset, quid valeant facultates attractrices, retentrices, concoctrices & expultrices, nihil hic inveniretis obscuri. Quem rursus alius explodens, salium narrabit pugnas, & foecis præcipitationem , & Sulphura, & tecti ingenii Mercurium. Alius brevibus se expediet, laudando inquilinum ibi fermentum *χολοποιόν*. alius Deum ex machina accerset, qui solvat hunc nodum, in Hepate, asserendo, domicilium esse prudenti Archæo fabro, cui id muneris sit datum, ut, quicquid materiæ aptæ occurreret, lege artis in biliosum convertat humorem. Mox alius ab hoc non multum dissentiens occupationem hic reperiet immortalis effectore dignam; is graviter vobis explicabit, quomodo anima cujusque, dum sensu interno singularum particularum naturas cognoscit, atque discernit, sapienti consilio & præviâ deliberatione, se ipsâ licet eorum, quæ agit, nesciâ, perpetuo partes biliosas à reliquo sanguine segregat, atque suam quamque in loculum manu quasi deducit; ita tamen, ut serio moneat, hæc neminem facile intelligere, nisi probe habeat perspectum, *quid sint actus rationis in re presenti de re presenti*, quos primus *λέγον* appellare decrevit. Tandem vero illi, qui geometrica accuratatione imbuti, apparitiones physicas scrutando, & summâ prudentiâ inter se comparando, constantem agnoverunt Naturæ operantis simplicitatem, nihil figmentis hic opus esse pronuntiabunt, & sicubi simplicioris liquoris aliquid secedit à massa humoris hæterogenei per suos canales fluente, hoc omne pendere à determinata ibi angustia osculorum, quæ minora non subire, mole vero majora corpuscula non præterfluere non possunt. Nonne obstupescitis, Cupidissimi Veritatis Medicæ Sectatores, quos eosdem

dem Vindices quondam fore auguror ejusdem , versatilis
 medicinæ faciei aspectu ? tamque mutabilem ab antiqvis
 usque temporibus ad nos pervenisse miramini ? At utinam
 his solis gemeret disturbata nobilissima Artium, & falsis fin-
 gendis tandem poneretur modus ! multo plura superant,
 neque authorum gravitate, neque fautorum numero, neque
 temeritate illis cedentia : antiqua, nova, omnis generis, quo-
 rum numerus iniri non potest; nec, si posset, iis enume-
 randis vestrâ abuti vellem patientia. Vos ipsos diffiteor,
 si datâ operâ fingendo experiri conaremini, quot & quam
 variâ de eadem re animo occurrere queant opiniones,
 quicquam excogitare posse, quod non serio dictum, scri-
 ptum & disputatum sit à Viris, interdum eruditione & famæ
 celebritate conspicuis. Omiseram, exclamabitis, scientiæ
 humanæ conditionem ! quam plena sunt errorum omnia !
 Sed hoc ipsum est, quod nos meliora sperare jubet: toto
 errorum gurgite exhausto, instare tempus, quo sola, nuda,
 intemerata colatur veritas. Si qui vero sunt, qui veteres
 recoqvunt errores, argumento est, hos nondum deferbuif-
 se, nec absolvisse suam periodum, & ultimum decurrere
 stadium. Cujus rei non deficiunt exempla: Quas enim
 nugas ineptissimi Authoris Epicuri è tenebris recens in lu-
 cem revocabat Gassendus, quam præcipiti lapsu jacuerunt
 neglectæ ! Freqventer hoc malum summos quondam de-
 tinuit Philosophos, ut, cum rerum naturalium vicissitudi-
 nes scrutarentur, specularenturque singularum apparitio-
 num causas, & magnum quid obscurioris virtute causæ pro-
 duci cernerent, latere hic, quæ istud efficiat, non corpo-
 ream, sed longe sublimioris naturæ causam, putarent. Præ-
 ficiebant itaque isti negotio pro lubitu Spiritum, cui tan-
 tum intelligentiæ, prudentiæ & potestatis tribuebant, quan-
 tum tanto operi perficiendo satis esse videbatur. Sed
 quam

quam vane! quam licenter! Eandem tamen hodie ignavæ originis sententiam vires resumere, & in ipsam Medicinam, maximo Artis promovendæ damno, invehi, acerbe dolemus.

Nam qui ita sentiunt, omnium motuum in corpore humano autorem esse, sangvinem circumagere, succos fecerere, superflua expellere, morbos aliis vocatos salutariter moliri, moderari iisdem, status paroxysmos, coctiones, crises obire dicunt animam: de cujus æstimatione morali, bonis intentionibus & aberrationibus excusandis, salutaribus consiliis & delecti moliminis rationibus, dum sermonem facere occipiunt, mirum est, quantâ loquantur fiducia. Crederes subinde cum ea confabulari. Hæc alumnus, si animo paucarum dierum spatio complectitur, & quicquid Mathematica, & Physicam, & subtiliorem Anatomiam sapit, contemnere: Opium & Chinam, ceu venena, convitiis proscindere, & pauca nosse animam de officio monentia, atque obdormiscentem excitantia remedia didicit, idoneum se jactat morbis curandis artificem. Quo quidem nihil video oportunius iis, qui ad fanum Apollinis viam affectant compendiariam, nec in veritate indagandâ proprii ingenii nervos intendere sueverunt; sed id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Quemadmodum vero omnibus in rebus temeritas in assentiendo errorque turpis habetur, ita maxime in Arte salutari nulla pestis perniciosior est ignavâ assentatione: neque usquam cautione opus est majori, ut rem, quam aggrediaris, penitus habeas exploratam, quam ubi de salute hominum agitur: ubi ne tantillum irrepit fallaciæ, quin hominem occidere possit.

Quo quidem periculo vacat reliqua philosophia, quæ tutiorem concedit mendaciorum impunitatem. Non enim,
fi

si quis orbem terrarum tenui filo suspensum finxerit, metus est, ne illo rupto, fracta labatur moles. Sed immota perstabit hæc rerum universitas, etiam si male illi commentum processerit. Cum illic econtra, quidquid delirant Medici plectantur ægroti. Quare verentibus vobis, ne temere vel falsæ rei, vel non satis intellectæ assentiamini, faciendum erit, ut, antequam adhibeatis fidem, diligenter etiam atque etiam dispiciatis, an satis sit evictum id, unde sua Author tanquam e fonte derivat? Deinde, an principium, cujus alibi veritatem agnoveritis, in hac quoque, ad quam trahitur, re probandâ suam vim retineat; & denique, quam firmo inter se argumenta nectantur vinculo. Siquidem triplex fere usu venit philosophandi ratio. Una, qua principium, cujus nullum in rerum natura vestigium reperias, effingitur aptum, quod omnibus phænomenis explicandis sufficiat; & hic quidem nihil omnino boni sperandum est. Altera, qua verus quidem, sed in re tantum singulari observatus causarum & effectuum ordo, universæ naturæ proprius & ubique obvius prædicatur; hic, quam late quidque pateat, & quibus contineatur terminis, prudenter definiendum. Tertia, qua in eventibus singularibus omnia, quæ sensibus vel sponte patent, vel arte subjici possunt, curiose colliguntur, & prudenter singula cum singulis ita comparantur, ut ex his manifestis & simplicibus de magis compositis & à sensuum testimonio remotis justa fiat argumentatio. Hanc vos solam, veracem, & tutissimam uti sedulo colatis methodum, non tantum svasor & author vobis existo, sed optimam quoque præmonstrabo viam, qua id feliciter consequi possitis. Nempe statim à principio recens animus ea disciplina induendus est, in qua præcipue ex simplicissimis & indu-

):(

biiis

biis præceptis incomparabili ratiocinii severitate certiffi-
 ma & pulcherrima demonstrantur, discipulis non prævi-
 sa: de Geometria loquor, quam omnes fatentur præparare
 & acuere ingenium ad reliqua studiorum genera feliciter
 suscipienda, & maxime liberare ab indocta credulitate.
 Hoc iudicii acumen augent usum, qui eas physicæ partes,
 quæ imperio rigoris geometrici præ reliquis obtempe-
 rant, Mechanicam, hydraulicam, hydrostaticam, Aerome-
 triam eadem solertia, & servatis ubique severis geome-
 triæ Legibus pertractant; et mox universam Scientiam
 Naturalem, non neglectis experimentis chymicis, simili in-
 dagine persequuntur. Sic enim uberrimam sibi compa-
 rabunt notitiam omnium eorum, quæ humani vis ingenii
 de corporum motu, velocitate, fluiditate, gravitate, elate-
 re & mutuis ad se invicem applicatorum effectibus detexit
 utilissima. His ego auxiliis instructos optarem omnes
 accedere ad Artis Medicæ culturam. His non difficile fa-
 ctu esset persuadere, nihil de iis, quæ in corpore humano
 fiunt, intelligi posse, nisi prius de singulis ejus partibus,
 quæ sit ratio structuræ, situs, connexionis cum aliis, &
 fluidorum mixturæ luculenter constet; hinc omnia inven-
 ta & demonstrata Anatomica studiose conquirenda, &
 Physices lumine illustranda esse, quo certi quid in Phy-
 siologia constitui queat, & proximæ morborum eruantur
 causæ, salutareque innotescant remedium vires.
 Quoniam vero ex his solis, licet explorete etiam, quantum
 hæcenus fieri potest, perceptis & cognitis, non tamen
 omnia ita certe prænosci possunt, ut semper tutam agen-
 dorum vel omittendorum definiant normam; Veterum
 quoque evolvenda erunt monumenta Observatorum, qui
 diuturno usu pene innumerabiles res, quia eodem modo
 eve-

eveniebant, iisdem signis antegressis, notando & prodendo memoriae, incredibile scientiae Medicae adjecerunt augmentum. Qui itaque hanc studiorum formulam sibi praescribent, hi facile intelligent, pauca, si cum reliquis conferas, certa demonstratione patere, plura ad similitudinem veri quam proxime accedere, plurima vero adhuc detegenda superesse, sedulos ideo Naturae venatores magnam manere novorum gloriam inventorum. Agite itaque, praestantes solertia Juvenes, hanc, quam modo indicavi alacriter ingredimini viam, difficilem quidem aliis & flexuosam dictam, vestra tamen virtute & industria superabilem, & officiosum vobis me dabo comitem; Postquam enim Celsissimus atque Potentissimus Princeps ac Dominus

GEORGIUS II.

Rex Magnae Britanniae, Franciae & Hiberniae, Defensor Fidei, Dux Brunsvicensis & Luneburgensis, S. R. I. Archithesaurarius & Elector, Instaurator novae hujus Academiae munificentissimus, in munere docendae Medicinae clementissime me constituit, eo omnibus animi & corporis viribus annitar, uti tanta gratia me non prorsus videar praestare indignum; atque, ut sapientissimae Optimi Principis voluntati, quantum in me est, satisfaciam, quicquid ingenii Natura in me posuit, quicquid assiduum studium comparaverit Scientiae, hoc omne vestro commodo, Sva-
vissimi

viffimi Commilitones, consecrabo. Jubet hoc officii mei ratio, jubet pietas. Vestrum erit, ut decenti attentione & frequentia docentis excitetis vigorem.

Auspicabor vero d. 13. Decembris publicam demonstrationem Ossium Corporis Humani, quam diebus Lunæ & Jovis hora IX. strenue continuabo. Singulis porro diebus horis X. & III. Physiologiam, præeunte Celeberr. Boerhaavio explicabo, & hora IV. Praxin Medicam, eodem duce, diligenter persequar. Quibus Prælectionibus, uti frequentes adesse, & vestra benevolentia meum in Vos studium accendere dignemini, majorem in modum vos rogatos volo. Dab. Göttingæ d. 12. Decembr. Anni M. D. CC XXXIV.

